

Quod cum ita sit, efficitur, ut litterae graecae quam maxime 5.  
sint vobis necessariae. Sunt enim adeo utiles, ut frustra quispiam  
latinis operam dare videatur, nisi graecis quoque, a quibus hae emana-  
verunt, incumbere atque inservire velit. Qui enim graecas litteras  
5 neglexerit, is eo omni adiumento, quod ad suas litteras addiscendas,  
conservandas amplificandasque maiores vestri e graeco fonte haurire  
solebant, omnino carebit. Quod apertissime illorum maxime ignorantia  
ostendit, quos hoc in loco nominare non est necesse, qui cum graecam  
linguam ac disciplinam neglexerint, non solum aliquid egregii ipsi B 53  
10 conficere, sed ne antiquorum quidem scripta intelligere potuerunt. Ita  
nullas litteras assequi possunt, qui graecas non sequuntur. Mercurium  
Aegyptii duplici simulacro designare solebant, iuvene scilicet apud  
senem collocato. Oratio latina, nisi graecae coniungatur, pulchra atque  
absoluta simul esse nullo pacto poterit. Unde M. Tullius, linguae  
15 vestrae facile princeps, non ante ad forum accessisse dicitur, quam  
Athenis orationem latinam litteris atticis struxisset, seque ad rem-  
publicam gerendam multo ante paravisset. Qui et ad Ciceronem filium  
scribens se ad suam utilitatem semper cum graecis latina coniunxisse  
ingenue profitetur, eumque, ut idem faciat, magnopere hortatur.

20 Neque vero in his solum, sed ceteris etiam in rebus amplissimum 6.  
ex graeca disciplina fructum capere poteritis. Est enim, adolescentes  
optimi, est tanta graecarum litterarum utilitas, ut si quis res Romano-  
rum diligenter perspexerit, facile intelligat, quod nisi disciplina in- B 53<sup>v</sup>  
stitutioque optima fuisset, ne illa quidem, quae peregerunt, praeclara  
25 esse potuissent. Nam ut senatum, forum, iudicia omittam, sive rem  
militarem considerare voluerimus, M. Brutum, C. Caesarem, L. Lucillum  
innumerabilesque alios admirabimur, qui ita graecas litteras tenuerunt,  
ut non facile iudicari possit, in utra tandem lingua fuerint eloquentiores,  
sive pacem illam diuturnam et confirmationem rerum omnium populi  
30 Romani cogitaverimus, Numam Pompilium, quem discipulum Pytha-  
gorae Samii vel potius Italici philosophi fuisse plerique historici graviores  
asserunt, omnia ferme Graecorum exemplo constituisse reperiemus, sive  
aliquam antiquitatis partem animadverterimus, nusquam graecas  
litteras abfuisse intelligemus. Quibus ex rebus illud quoque verissime  
35 vobis affirmare possum nullam neque tantam neque tam variam rem  
esse, ad quam vel cognoscendam vel adipiscendam litterae graecae B 54  
non sint magnam utilitatem allaturae.

Quamobrem, optimi adolescentes, vos etiam atque etiam hortor, 7.  
ut ad eas litteras addiscendas omnem operam ac diligentiam adhibeatis,  
40 ut simul ex eis fructum, quem diximus, capere possitis. Proponite,  
quaeso, vobis maiores vestros, viros clarissimos imitandos, qui propter  
summam graecarum litterarum eruditionem viri doctissimi atque elo-  
quentissimi evaserunt, et imprimis M. Tullium, qui supra ceteros alios

- auctores Demosthenem ac Platonem lectitare semper est solitus, ut pares Demosthenis Philippicis orationes reddere et dialogos Platonis latine effingere posset, deinde M. Brutum, qui graecas epistolas ita eloquenter a se scriptas reliquit, ut eas Graeci in hunc usque diem tamquam optimi generis epistolarum exemplum consideraverint, tum 5
- L. Lucullum et postea Albinum, qui historias graece elegantissime 5
- B 54<sup>v</sup>** scripserat, praeterea vestrorum poetarum principem Vergilium, qui paene totus Homericam illa divinitate est factus, denique innumerabiles alios, quos percensere longum esset. Quos, quaeso, dies ac noctes vobis ante oculos ponite, cum praesertim haec una sit vera ratio, qua vestras 10
- litteras superiorum hominum incuria ac negligentia penitus amissas primum recuperare, deinde servare, postremo etiam amplificare possitis.
8. Fuerunt complures, qui, quamvis multos per annos aliis in rebus elaboravissent, nihil tamen aut certe parum sibi, patriae civibusque suis prodesse potuerunt. Vos autem, si hisce litteris dignam operam 15
- praestiteritis, vobis vestrisque omnibus permaxime utiles esse poteritis. Victorinus Feltrensis, ne longius exempla petantur, aetatis nostrae vir optimus idemque doctissimus fuit. Qui quoniam, quamdiu vixit, latinas cum graecis litteras coniungendo quam plurimis profuit, nunc 20
- B 55** non solum propter virtutem beatus, sed restituendae quoque latinae 20
- linguae imprimis adiutor et auctor habetur. Hi etiam viri clarissimi Johannes Aurispa et Guarinus Veronensis, quoniam idem magna cum diligentia iam diu fecerunt hodieque facere non cessant, profecto in hoc genere laudis nullo sunt inferiores. Denique alii, qui bonis litteris faverint, graecis id potissimum litteris assecuti <sunt>. Quo circa, quem- 25
- admodum latinis, ita et graecis litteris pariter inserviendum est.
9. Quod si quis utrique linguae operam dare non possit, Graecorum potius disciplinae se dedat, quod Romani non sine ratione fecisse traduntur. Nam ut alia pleraque, quae minus propria esse videntur, ita peregrina lingua in iuniori aetate melius faciliusque perdiscitur. 30
- Quemadmodum enim in molliori cera signa, quae paulo obscuriora sunt, expressius imagines suas imprimant, ita in iuniorum animis 30
- B 55<sup>v</sup>** alienae litterae firmiter atque altius inhaerent. Quamobrem, studiosissimi adolescentes, ceteris aliis posthabitis rebus nunc maxime graecis litteris incumbite atque auctore Horatio: 35

»nunc exemplaria graeca

nocturna versate manu, versate diurna«.

»Graeis namque ingenium, Graeis dedit ore rotundo

Musa loqui.«

10. Demosthenes varios orationis ductus vimque dicendi tantam vos 40
- docebit, quantam nullus umquam orator post hominum memoriam

assequi potuit. Plato admirabilem dignitatem iucunditatemque orationis  
 vobis ante oculos ponet. Homerus expressam poëticae imitationem  
 suavitatemque mirae cuidam magnitudini coniunctam et omnia dicendi  
 5 genera, mores hominum rerumque naturas in illo vario ac pulcherrimo  
 carmine, quod ab omnibus tamquam divinum quoddam opus praedica-  
 tur, vobis apertissime ostendet. Aderunt praeterea vobis Aristotelis  
 libri, viri in omni litterarum genere doctissimi, ita emendati atque B 56  
 incorrupti, ut ab illo scripti sunt, quorum puritate atque integritate  
 non modo veram disciplinarum scientiam vobis comparare, sed alios  
 10 quoque multos iis omnibus difficultatibus atque erroribus, quibus inter-  
 pretationes plenae sunt, facile liberare poteritis. Nemo vestrum, cum  
 Aristotelem graece legerit, obscurum aut asperum, sed clarum potius  
 ac lenem esse dicet, barbarumque illum interpretem, qui graecae  
 pariter ac latinae linguae ignarus fuit, non traduxisse Aristotelem,  
 15 sed potius invertisse ac confudisse cognoscet. Quid de Xenophonte  
 Socratico dicam, cuius libros M. Cato apud Ciceronem propter summam  
 illorum utilitatem Laelium Scipionemque diligenter legere hortatur?  
 Quid de ceteris quoque graecis auctoribus loquar? Dies me certe  
 deficient, si poëtas, oratores, historicos, philosophos aliosque permultos  
 20 scriptores enumeravero, ex quibus omnibus legendis non mediocrem B 56<sup>v</sup>  
 utilitatem cum ad res privatas tum ad publicas et in bello et in pace  
 consequi possumus. Huic vero tantae graecarum litterarum utilitati  
 coniuncta est tanta honestas, tanta gloria ac laus, ut ad earum studium  
 omnes magnopere invitari debeant. Non minus enim quam ipsa virtus  
 25 ab iis rebus, quae plus utilitatis quam honestatis habeant, differre  
 videtur, quippe cum mortales hac una potissimum re gloriam consequi  
 et immortales effici possint. L. Lucullus non tam gloriari solebat, quod  
 res contra Mithridatem maximas gessisset, quam quod graeca lingua  
 historiam conscripsisset. Nec tam doluit triumpho ei aliquando per-  
 30 negato, quam gavisus est disputationibus, quas crebro cum Graecis  
 habere consuevit. Crassus etiam, vir eloquentissimus, non e divitiis,  
 quas possidebat, sed e defensionibus, quas graecis latinisque litteris  
 fretus assidue suscipiebat, gloriam quaesivit, Nam pecunia quidem B 57  
 opinione iniuriae haud facile diu carere potest. Quod Crassoque conti-  
 35 gisse dicitur. Bonarum verum artium studia non minus auctoritatis  
 ac gloriae quam utilitatis veris possessoribus comparant.

Sed forsitan dixerit quispiam vestrum, adolescentes optimi, haec 11.  
 quidem, ut dixi, ita se habere, rem tamen ipsam difficilem esse. Ego  
 autem, si res magnas facile ac sine ullo labore comparari posse viderem,  
 40 non sine ratione id a vobis in medium afferri crederem. Cum vero  
 res nulla reperiri queat, quam sine aliquo impenso labore consequi  
 adipiscique possimus, is mihi omni prorsus ratione carere videtur, qui  
 laboris evitandi causa negligat rem tam utilem tamque honestam.

Natura rerum humanarum haec est, ut quanto maiores, honestiores utilioresque sunt, tanto plus difficultatis habeant. Non tamen propterea labores erunt fugiendi. Nam si magnarum rerum causa labores suscipere recusaverimus, non solum parum prudentes et imperiti iudicabimur, sed ne vitam quidem poterimus conservare. Quae enim minora sunt, nisi a maioribus et regantur et sustineantur, facile amitti possunt, quod ex iis maxime intelligi potest, qui civitatibus per negligentiam amissis perierunt. Quare non, quia difficiles sunt, res utiles atque honestas negligere, sed potius, ut fructum ex eis consequamur, eniti atque contendere debemus. Neque enim Solon Atheniensis nec Lyncurgus Lacedaemonius, qui sanctissimas suis civibus leges condiderunt, nec Plato, quem omnes Graeci Latinique maxime praedicant, nec alii permulti in Aegyptum proficisci destituerunt, quia terra marique labores plurimas ac pericula essent adituri. Neque Romani Athenas frequenter petere neglexerunt, ne graecarum litterarum causa labores capessent. Immo vero omnes labores ac molestias ferendas putaverunt, ut viri clarissimi evaderent et aliquando litterato otio fruerentur. Non enim inanis labor est existimandus, qui pro futura gloria suscipitur. Labores Herculem deum effecerunt, labores Numam Pompilium e curribus Sabinis in regiam populi Romani sedem evexerunt. Denique permulti alii vigilando, laborando et praeclarissimas res gerendo in deorum numerum sunt relati, quorum omnium in promptu illa est ratio, quam Hesiodus sapientissime simul ac verissime scriptam reliquit:

»ἀρετῆς γὰρ ἰδρῶτα θεοὶ προπάρουθεν ἔθνηκον.«

12. Neque tamen res tam difficilis est, studiosissimi adolescentes, quam vobis fortasse videtur. Nam, per Deum immortalem, quae tanta in eis litteris addiscendis difficultas inesse potest? Praesertim Latinis, quorum litterae tantam cum graecis similitudinem habent? Scythis forsitan et aliis quibusvis barbaris hoc studium difficile esse potest, quibuscum nihil nobis praeter hominis figuram commune est. Vobis autem, qui ad omnis generis humanitatem atque elegantiam nati esse videmini, difficile esse quid potest? An forte ignoratis M. Catonem graecas in senectute litteras didicisse? Quod si senex et in republica gerenda occupatus id potuit, adolescens, qui reipublicae ac familiaris gubernandae omnino liber esse consuevit et ingenio ac memoria longe praestat, non id multo melius ac facilius poterit?
13. Accedunt ad haec cum mira quaedam temporibus oportunitas, tum loci ipsius non mediocris commoditas, quo melius ac liberius studiis vestris inservire possitis. Non enim, quod absit, quia bello patria prematur et liberalium artium praeceptoribus careat, necesse habetis alia loca, alios quaerere praeceptores. Divus enim Leonellus, principum

aetatis nostrae omnium facile princeps liberalium artium ac discipli-  
 narum, collegia vobis domi instituit. Doctores in omni litterarum genere  
 praestantes undique conquiri fecit civitatemque vestram rebus magnifice **B 59**  
 adornavit. Pacem, quae studiorum mater est atque alumna peperit,  
 5 aluit et in hodiernum usque diem conservavit. Cui profecto, si grati  
 esse voletis, ob immortalia sua in vos beneficia, non modo fortunas  
 vestras, verum etiam vitam ipsam debere non negabitis. Quamobrem,  
 adolescentes optimi ac studiosissimi, ut orationi nostrae modum statua-  
 mus munusque, quod vobis polliciti sumus, absolvamus, vehementer  
 10 vos etiam atque etiam et hortor et rogo, ut haec studia, quae et cognitu  
 satis facilia et imprimis utilissima ac praeclarissima sunt, tot simul  
 commoditatibus oblatis animi ac spei pleni alacres suscipiatis eisque  
 dies ac noctes incumbatis, neve committatis, ut cum omnia vobis  
 abunde adsint, vosmet vobis per inertiam atque incuriam defecisse  
 15 videamini.

**Theodori Graeci Thessalonicensis**

**B 60**

**De Rectoratu**

**Eucharistica Oratio.**

Cum mecum ipse cogitarem, illustris princeps et amplissima uni-  
 20 versitas ceterique viri clarissimi, quid apud vos dicere debeam huius  
 gratia honoris, quo me hodierno die humanissime affecistis, venit mihi  
 in mentem Themistocles ille Atheniensis, qui, cum apud Persas esset,  
 nondum lingua illorum satis eruditus, rogatus ut persice oraret, recusans  
 ignoscere inquit. Oratio namque persimilis est variae cuidam ac pulcher-  
 25 rimae vesti, quae si tota dilatetur, ornatissima esse videtur, si con-  
 stringatur, pulchritudo eius patere non potest. Etenim recte ille ac  
 pulchre id oratione asseruisse videtur. Nam ipsae orationis inventae  
 sententiae quaevis aptae gravesque sint, tamen, nisi plene pronuntientur  
 electisque vocabulis et congruis constructionibus non sine venustate  
 30 ac lepore quodam explicentur, ieiunam quandam, angustam penitusque **B 60<sup>v</sup>**  
 deformem orationem contexunt. Quamobrem etsi eiusmodi dictum  
 Themistoclem magis deceat ut hominem paterna eloquentia praestan-  
 tissimum, tamen eo magis mea id interesse arbitror, quod ego verba  
 apud vos faciam, homines multo eloquentiores illis, qui Themistoclem  
 35 audire desiderabant. Ego magnitudinem et elegantiam dicendi nec  
 mea paterna lingua polliceri audeo. Non enim valeo tantum. Ob aetatem  
 tamen satis iam longam assiduosque labores me quoque nonnihil

27 videtur] *B corr. ex asseruit.*

Graecorum litteris posse aliqui fortasse putabunt, modo benignius de me velint iudicare. In hac autem vestrae linguae oratione, in qua nos plane hospites sumus, fieri non potest, quin longe duriores ac inopes omnino esse videamur. Quapropter me plurimum dubitasse fateor, an quicquam latine dicere debeam, praesertim apud vos, ad quos 5 omnia copiose exquisiteque referri oportet.

2. Sed cum res ipsa me tacere non sinat, quinimmo ad dicendum hortetur impellatque vehementer, dabitur veniam, eloquentissimi viri, B 61 si ego in hoc alieno genere dicendi versari videar. Atque illud certo putetis me non aliqua ostentatione inani, sed temporis necessitate 10 latinam orationem habere voluisse. Enimvero quid turpius fieri possit quam gratias silentio praeterire, quas quispiam agere debeat honore affectus, si modo aliquo pacto verba facere queat. Non enim qui eloquenter dixerit, is gratus officiosusque habetur, sed qui vere ac sincere animi gratitudinem modo, quo tandem possit, expresserit, is recte 15 officio suo functus esse videtur.

3. Vobis igitur, amplissima universitas, gratias acturus, ut possum, ego surrexeram, ne quis aut ingratitude aut insensationi cuidam taciturnitatem meam attribuat. Quorum alterum a meis moribus alienum omnino est. Alterum non adeo hebeti ac obtuso ingenio sum, 20 ut mihi iure imputetur. Cum enim in aliis permultis rebus intellexissem, tum in hac designatione rectoratus mei novi optime prudentiam humanitatemque vestram tantam esse, ut non iniuria praedicari ipsam ubique summa cum laude debeat. Etenim cum summae prudentiae sit illa facere, quibus non solum una domus, sed certo tota civitas felix 25 beataque efficeretur, vos ea plane, quae ad eiusmodi felicitatem spectare potissimum constat, diligentissime facitis, et numquam id summum bonum desit.

4. Pro viribus operam datis. Honorem enim, quo tamquam alimento quodam omnes artes augeri videmus, quo omnes homines ad studia 30 liberalia virtutesque omnes citari solent, honorem, inquam, tantae utilitatis causam vos liberalissime permultis conceditis, ut qui labore satis profecerint, praemium perpulchrum hoc habeant vigiliarum suarum, qui nondum satis, partim eius gravitate honoris ad maiora hortentur, partim eiusdem oblectamine quodam modo sustentati labores perferant 35 patienter. Quamobrem, quemadmodum qui semen terrae iniecerit, is plantae exortae causa non iniuria dicitur fuisse, ita vos tam privatae B 62 quam publicae utilitatis auctores iure optimo appellari debetis. Vos enim honore virtutes artesque . . . Artes et virtutes, tum singulas domos, tum civitates omnes felicissimas reddunt. O praeclaram utilitatem prudentiae ac operae vestrae, o miram et rationem, qua res, quia utiles exercentur, servare, quae negligentia quadam amissae sint, facile recuperare potestis! Homines, qui viribus corporis plurimum

valent, saepenumero facto impetu temerario non solum rebus non profuerunt, verum etiam maiorem in modum obfuerunt. Vos ad ea, quae prudentissime agitis, semper tutissime omnibus rebus perutiles adestis. Item quam insolentes contumeliosique divites sint, ceteros omnes contem-  
 5 temnentes non magis altis aedificiis vesteque sumptuosa patriam ornant, quam ipsam sua contumelia turpiter inquinant ac funditus evertunt. Vos summa cum prudentia honorem pluribus praestantes honestissimeque singulos pertractantes ornamentum utilitatemque rebus patriae tantam adiungitis, ut nihil ad eam magnitudinem accedere possit.

10 Haec cum ita esse consensu omnium, qui recte sentiunt, confirmen- 5.  
 tur, haud illa humanitas abest, quam prudentia semper comitari solet. Id enim ego nullo pacto praetermittere possum, qui me humanitate B 62<sup>v</sup>  
 potissimum vestra tam honoris consecutum esse intelligo. Alios enim quosdam saepius honorandos putastis, ne quid iustitiae debitique officii  
 15 neglexisse videamini. Me vero huic magistratui praefecistis, ut sane humanitatem quandam incredibilem hominibus omnibus explicetis ceterosque hortemini, ut non semper curiosius res singulas exquirant atque, ut ita dixerim, acerbius iudicent, sed potius facilitate morum et aequitate quadam crebro utantur, malintque prudentes humani quam severi  
 20 insulsi videri, sed ut qui <nob>ilitate morum . . . perioris melior <ev>adere possit, . . . ob aliquam dif<fi>cultatem eiusdem . . . ipso bono pri<ve>tur. Fit enim, <ut> ego, qui minus rem tantam merear, omne studium magis magisque adhibere velim, quo me dignior efficiar, non aliter atque illi, qui ficte laudati magis quam aperte reprehensi virtutem saepius  
 25 complectuntur. Nam nisi quis ab omni honestate penitus abhorreat, et laus relata et magistratus concessus eum adhortari melioremque reddere potest. Ita nec humanitas vestra sine summa prudentia est, neque prudentia sine humanitate summa, sed altera semper alteram comitatur aut sicut soror sororem aut sicut filia matrem.

30 Quas ob res ego, amplissima universitas, non aliquo iure meo, sed 6.  
 vestra summa humanitate rectoratum vestri ordinis me fateor adeptum. B 63  
 Quippe vos, quae contentiosius alii quaererent, ea humanissime missa facientes me tam magno, tamque optabili magistratui praefecistis, me munere adeo claro ornastis, ut nulli mei labores, nulla mea pericula mereri  
 35 potuissent. O incredibilem humanitatem, o morum admirandam facilitatem! Quis vos vehementer non laudet? Quis vestras virtutes ubique gentium praedicandas non putet? Nonnulli adeo contentioso, invidio perversoque animo sunt, ut si forte is, qui ad magistratum gerendum

8 ornamentum] ornamentibus (?) Gercke | 9 Adnotatio hic in margine facta incipiens: Quapropter divitiis ac corporis . . . ligando codice deleta est. | 17 exquirant] ex gratia Gercke. | 20—22 nobilitate . . . qui minus] in margine partim deletum ut supra. | 38 magistratum] B magistrandum

eligendus proponitur, Graecus sit, de graeca et natione contenderent, quasi Graeci barbari quidam essent et a genere Latinorum alieni, non maiores, praeceptores fautoresque totius italicae nationis. Vos recte Romanos, maiores vestros, homines humanissimos, e vestigio sequentes graecos homines vobis coniunctissimos esse religionis, morum, artium 5 omniumque rerum similitudine putatis. Cumque nihil de natione altercetis, tum res alias permultas gratissimas eis conceditis, ut partim iusti, partim benigni iure vocitari possitis, utque ad humanitatem B 63<sup>v</sup> clarissimi principis nostri huius Divi Leonelli tamquam ad ideam quantam et exemplum eximium benignitatis agere videamini. 10

7. Hic enim ita humane omnes homines Graecos diligit atque honorat, ita benigne res singulas eis largitur, ut facile alter Titus Flaminius nostra aetate erga Graecos esse videretur. Nec mihi contradicturum aliquem arbitror, si hunc non minus φιλέλληνα appellandum dixerim quam Flaminium illum. Paritas enim humanitatis liberalitatisque in 15 graecam nationem facit, ut cognomen quoque par iure optimo sortiatur. Quamobrem quo magis laudandum humanissimum hunc principem fateri omnes debemus, sed ob eam humanitatem et beneficentiam, qua homines Graecos sibi maiorem in modum coniunxerat, eo magis laudem nostram video augendam. Fit enim, ut exempli magnitudinem, 20 quod vobis proposueritis, ingenua ipsa imitatio mensuram laudis maiorem consequi debeat.

8. Accedit ad haec, amplissima universitas, mutua benivolentia, quam vos erga me habere multis in rebus iam pridem explicastis. Quo quidem animo ita vos ad me eligendum creandumque rectorem promptos fuisse 25 B 64 intelligo, ut quantum meae vires ante rem ipsam superentur, nullo pacto animadvertere volueritis, remque intolerabilem quaeri existimaveritis, nisi me hominem, quem plurimum dilexistis, primae dignitatis vestri ordinis praefectum videritis. Quantum, qui diligunt, concedere debeant, facile cogitastis. Quam pauca merear ego, nullo pacto animad- 30 vertendum putastis. Omnia vincit amor. Apicem meritorum nostrorum iam mihi imposuistis, ut nihil desit ad summi amoris indicium.

9. Quae cum ita sint, ego, ut debeo, rem totam prudentiae, humanitati, benivolentiae vestrae attribuo, vobisque gratias ago non solum meum, sed etiam hominum omnium meorum animum explicans. Nam 35 si quis amor fratrum, amicorum, familiarium erga me sit, si quam benivolentiam propriam in me habeant, si quid caritatis natio Graecorum mihi impertiatur, hos omnes ore meo gratias vobis agere velim putetis. Id enim, quod mihi concessistis, si concessum illi omnino existimabunt, conabunturque omnes mecum gratos sese debitores vobis exhibere, quoad 40 maxime possint. Reliquum est, amplissima universitas, ut rei susceptae fautorem invocem, Deum immortalem. Quam quidem invocatio-



nem communem vobiscum habeam, vos hortor et rogo: Tu igitur, pater omnipotens, qui nos omnes et creasti et ad hunc usque diem clementissime conservasti, qui solus causa potissima es omnium rerum bonarum, **B 64<sup>v</sup>** effice, ut status huius praeclaræ universitatis incolumis amplissimusque  
5 semper conservetur, et nos, qui ad hunc gerendum accessimus, commode ac honorifice gubernare possimus. Dixi.

**Theodori Graeci Thessalonicensis**

**B 68**

**In Deponendo Insigne Rectoratus**

**Oratio.**

10 **Hodiernus dies**, amplissima universitas, vosque ceteri viri clarissimi, **1.** finem magistratui meo imponit, principium exhibet alteri honoris, rectorem postulat novum. Quamobrem insigne, quo me ornandum summa cum humanitate putastis, egregia universitas, hoc ego depositurus accessi, cessurusque ei, quem ad eundem magistratum gerendum elegistis.

15 Idque non animo quodam iniquo ac tristi facio. Sed, ut libenter magistratum accepi, ita libenti animo dimitto. Tunc enim consensus vester in me eligendum creandumque rectorem me vehementer delectabat, nunc comprobatio et laus ipsa, quam is consequitur, qui bene magistratum gesserit statutisque vestris paruerit, me non minore laetitia me **Dius**  
20 **Fidius** afficit.

Puto enim me ita rem susceptam egisse, ut facile apud quemque **2.** iudicem iustum probari possim. Nec me impudentia deterret illorum, **B 68<sup>v</sup>** qui se ob iniurias multas punitos esse molestissime ferunt. Testes enim vos omnes habeo rationum mearum. Quantum ego humanitatis ostenderam! Quoties vel humanissimus quispiam perturbaretur, nullus est vestrum, qui ignoret. Sed profecto hominum pessimorum contumelia tanta fuit, ut neque ego ipse tranquillo animo semper esse potuerim. Sed me fateor nonnulla et dixisse et fecisse acerbius, quam morum esset meorum, multo tamen benignius omnia, quam perversitas merebatur eorum, qui me ad illa compulerunt. Quapropter si ego ab aliis iudicari deberem, fortasse timidior essem, ne homines, qui rem ipsam ignorant, calumniis adversariorum credentes sententiam de me iniquius dicant. Cum vero vos futuri iudices sitis, qui meam erga omnes vestri ordinis bonos benivolentiam perspexistis, qui saepius industriam ac **B 69**  
35 labores meos pro communi utilitate probavistis, qui pessimos illos, qui impetus in me faciebant, semper odio habuistis libenterque eos ab ordine vestro expelleretis tamquam inimicos communes et perversos maledicos

omnium, cum, inquam, vos futuri mei syndici sitis, non est, quod dubitare debeam, an iusta ratio dictorum factorumque meorum plus valeat quam hominum malorum calumniae atque iniquae accusationes.

3. Sed iam ad id, quod proposui, veniam. Nescio, amplissima universitas, an quispiam creatus rector magis laetari debeat quam functus 5 bene rectoratus officio arbitratusque in fine temporis parendum esse legibus et universitatis praecepto. Nam etsi honore ceteris anteponi pulchrum esse videatur, tamen iuste agere ac superiori honeste iubenti parere mea sententia longe pulchrius est. Quamobrem ego laeto, B 69<sup>v</sup> ut dixi, animo insigne hoc rectoratus coram vobis depono, rectori electo 10 facile cedo, me vobis examinandum iudicandumque exhibeo, quemadmodum leges vestri ordinis iubeant.

B 70

### Theodori Gazae

#### Graeci Thessalonicensis

#### In Rectorem Novum Oratio.

1. Etsi res, quam mihi universitas efficiendam imposuit, homine quodam in dicendo copioso egeat, et eo plane, qui omnia exquisite ac ornatissime referret, patres amplissimi, tamen ipsius ordinis auctoritas facit, ut ego, qui in hoc dicendi genere timidior, ut debeo, sum, audacior esse videar. Quamvis enim homines illos, quos vel aliena lingua adeo 20 valuisse accepimus, ut pleraque per eam ambitiosius orare possent, miratus saepius sim, attingere tamen nec minimam partem eorum equidem potui. Quapropter limites proprios servans libentius semper lingua utor paterna et, nisi res aliqua cogat, latinam orationem dimitto. Sed, quemadmodum dixi, universitatis ipsius auctoritas mihi adeo 25 B 70<sup>v</sup> persuadet, ut rem, quae meas superat vires, aggredi auderem et, nisi omnia, quae ipsa iusserit, faciam, me magnum quendam errorem committere putarem.
2. Dicam igitur, ut possum, de hoc viro, qui ob singularem virtutem sententia omnium electus rector hodierno die creandus adest. Principium 30 autem orationis inde sumendum videtur, unde hic ortus educatusque est, et ut naturam ipsam sequatur oratio. Quamobrem parentes imprimis laudari debent, qui virtute egregia praediti hunc egregium genuerunt, et ante parentes patria et provincia praedicanda profecto est, quae parentum quoque ipsorum principium quoddam fuisse videtur. 35

Provincia itaque, quam noster hic Michael sortitur, Sicilia est, quae **3.**  
 tanto spatio maris ab Italia seiungitur, quanto insula quidem redderetur.  
 Vicina vero ita est Italiae, ut eam nonnulli coniunctam olim fuisse  
 confabularentur. Unde nec rebus privatur, quibus melior pars Italiae  
 5 abundat, quinimmo omnia copiosius habet, et ipso ambitu maris  
 tutissime munitur. Ita praeterea versus meridiem tendit, ut et situm **B 71**  
 commodissimum habeat, sive in Africam sive in Aegyptum sive in  
 Graeciam navigare oporteat, et in aëris maxima temperie ac salubritate  
 maneat. Unde fit, ut et ipsa rerum copiosissima sit, et quae alibi nascun-  
 10 tur, facile in eam portentur. Poëtae igitur Proserpinam hinc raptam  
 esse cantent atque pratum ostendant, unde Pluto puellam flores colli-  
 gentem accepit. Nos ob fructuum ubertatem maximam eius loci fabulam  
 istam factam esse arbitrari debemus. His autem rebus congruam habi-  
 tationem quoque habuerat. Populosa enim haec insula semper fuit et  
 15 est. Urbes permultae in ea conditae sunt, quarum magnitudo ac pulchri-  
 tudo hoc etiam tempore servatur. Permuli in ea claruerunt tam artibus  
 liberalibus quam re militari. Invidiosa cuique imperio fuit, atque, ut  
 rex ille Pyrrhus dicebat, Carthagiensium et Romanorum magna pa-  
 laestra.

20 Huius tam commodae tamque ornatae insulae urbs omnium, quae **4.**  
 in ea sunt, maxima Panormum efficitur partim loci opportunitate  
 eximia, partim usu multarum rerum faciliore. Montibus haec civitas  
 non minus munitur quam ceterae muris et fossa. Fluminibus abundat,  
 quibus ceterae carentes tanto minus laudis consequuntur, quanto minus  
 25 capiunt utilitatis. Quin etiam reliqua, quibus civitatis situs ac loci  
 natura praestare videtur, Panormum aut meliora habet aut certe non  
 deteriora. Iis vero, quae artis ingenui fortunaeque sunt, non solum  
 ceteras omnes Siciliae civitates superat, verum etiam primariis Italiae  
 facile comparatur. Ita aedificiis tam privatis quam publicis structa est  
 30 magnifice atque ornate. Artes omnes in ea exercentur. Litterarum studia  
 florent. Singula magistratibus miro ordine gubernantur. Civis summa  
 benivolentia civi coniungitur. Advenae a civibus honorantur atque  
 amantur. Colitur iustitia, colitur pietas vehementer. Populus ille quam-  
 vis maximus sit, tamen non minus uno consensu principi suo parere **B 72**  
 35 videtur quam homo unus, qui moratus optime sit.

Huius praestantissimae urbis familiae antiquae ac nobiles sunt **5.**  
 Nuciorum atque Perusiorum, quarum utraque cum semper homines  
 egregios patriae exhibuisset, tum parentes huius viri produxerat in  
 lucem Nicolaum Nucium et Matthaeam Perusiam, qui exempla maiorum  
 40 suorum egregie imitati clarissimi evasere. Qui non minus virtutis quam  
 nobilitatis ac divitiarum paritate matrimonio coniuncti integerrime  
 vixere. Multa praeclara Nicolai Nucii Siculi omnes praedicant, illa  
 vero imprimis, prudentiam summam, amorem erga patriam summum.

Non illum divitias sibi solum possedisse, verum etiam patriae atque amicis libentius illum pro communi utilitate expendere consuevisse, quam alii lucrentur. Nec patriam ingratham in eum fuisse aiunt, sed eius meritis ita honorando satisfacisse, ut non magis ea laudari debeat propter primarium civem, quam is propter gratam et beneficam civi- 5 tatem.

**B 72<sup>v</sup>** 6. Sed debuerunt certe, qui virtute ita claruerunt, qui felici con- nubio copulati fuerunt, similem sibi ipsis generare, Platonisque illud pulcherrimum dictum confirmare, quo filios bonos esse assērit, quia ex bonis nati fuere. Neque enim semen perfectum terrae iniectum op- 10 timae plantam vitiosam emittit, neque boni parentes pravos filios generare possunt. Quamobrem nascitur hic fato felici, educatur honestissime, ut debuit filius fortunatorum parentum, instituitur ac eruditur diligentissime patriae moribus atque disciplina. Mox igitur in prima aetate Michaelis indolem ac professionem naturae admirari 15 debemus. Hic enim prolis optimae fuerat exemplum et naturae, ut ita dixerim, magnificum opus. Parentibus omnibus in rebus parebat. Pudor in eo erat. Maiores natu honorabat. Loquebatur honeste. Imitabatur ingeniose. Litterarum ac fabularum cupidus erat, quibus maxime puer natus ad maiora et philosophiam ipsam explicatur. 20

**B 73** 7. Cum vero esset adolescens, tunc iam expresse ostendit, quod genus vivendi alienum sibi vendicabit, quamve profitebitur scientiam. Quam- quam enim vires corporis non ineptas ad arma habebat, tamen rem militarem germanis suis exercendam relinquens ipse sibi studiosam ac omnium optimam vitam instituit. Eiusque vitae ceteris quidem ita 25 studebat, ut mediocriter teneat scilicet, quantum eorum necessarium sit. Dialecticae vero ac philosophiae ita se dedit, ut quemque studiosum facile opera superaret. Quo quidem tempore, quantum ingenium bonum valeat magno studio adiunctum, optime ipse monstravit. Nam in disputationibus et ad inveniendum acutior et ad exprimendum subtilior 30 non solum adolescentibus, verum etiam senioribus multis videbatur. Explevit aetatem adolescentiae flagrans iis pulcherrimis studiis et probitate morum paribus omnibus praestantior. Nulla in hoc contumelia, nulla temeritas fuit. Temperantia et animi ornatu pollebat. Officiis debi- 35 tis erga deos, parentes, consanguineos probe omnibus fungebatur. Multa **B 73<sup>v</sup>** habebat senectutis in iuvenili aetate. Quamobrem non solum parentibus carus erat, verum ab omnibus etiam diligebatur.

8. Cum vero post aetatem ac disciplinam iam habitam ad plura maioraque hortari liceret, facit quod plane animi magni et cupidi rerum gravissimarum ac perutilius est. Etenim non patriae ac suorum hominum 40 desiderium, non maris pericula, non terrae labores itinerum, non impensas grandis pecuniae suspicatus et timens destitit, sed putans et corpus et pecunias et reliqua omnia ad animi perfectionem, gloriam

memoriamque perpetuam et habenda et ordinanda esse, navigavit in partes remotas atque se ad Patavium civitatem Venetiae confert, ut et doctrinam maiorem acquirat et, ut inquit Homerus, mores hominum multorum videat et urbes. Vigebant in ea urbe tempore illo liberalium  
5 artium studia, et reliquarum rerum conditio ita erat, ut nullo pacto B 74  
Michael laborum et impensarum poeniteret. Etenim animi bona, quae nondum habebat, plene acquisivit et, quae plene tenebat, pleniora fecit. Nec sine admiratione ingenii et laude morum in ea manserat urbe.

Cum vero Divus Leonellus, patriae princeps, Italiae decus, hanc  
10 urbem studiis liberalibus ampliasset ornassetque, Michael ut ceteri fama huius Ferrariensis studii hortatus ad hanc urbem accessit, ubi iam quinquennium manens aetatis processui virtutis ac doctrinae perfectionem concinnam omnino reddidit. Ut enim numerus annorum, ita virtus in eo aucta est. Nec magis ab aetate quam a virtute vir appellandus  
15 videtur. Medicinam scientiarum omnium utilissimam, cuius principia pulchre tenebat, hic plenissime est adeptus sub Johanne Hercule et Oratio Gerundo praeceptoribus, qui principes facile medicorum omnium sunt. Quin etiam philosophiam et reliqua hic egregie auxit atque B 74<sup>v</sup>  
corroboravit. Coniunxerat ergo partem utilem nobili ac honestissimae  
20 parti, conventumque istum pulcherrimum fecit, ut modo rerum naturam investigando Deo immortalis respondeat, quoad intellectus humanus patiatur, modo hominibus sanitatem recuperando salutis ac delectationis summae auctor efficiatur.

Testes iam omnes habeo eorum, quibus Michael in hac urbe et  
25 doctissimum virum sese esse ostendit. Omnia, quae vel disputavit vel scripsit, doctorum omnium iudicio probantur, quae vel ipse de rebus suis consultavit vel amicis consuluit, omnia prudentissime acta videntur. Quotiens cum aliquo egerat vel emendo vel aliquid contrahendo, ut saepius homini contingit viventi vitam civilem, nulla in eo  
30 fraus, nulla iniuria visa est. Corporis pulchritudo aut aliqua turpis voluptas numquam eum allexerat, ut quicquam minus caste committeret. Forti ac penitus invicto animo est. Laudabilem mediocritatem in dandis pecuniis semper servavit. Modestus et moderatus adeo est, ut neque B 75  
facultas pecuniae neque res aliqua eum unquam deduxerit, ut quicquam  
35 nimis ac vitiosius faceret. Gravis in dicendo, gravior in agendo est. Festivitate gravitas eius pulchre conditur. Pietate maxima utitur erga deos, comitate erga amicos, humanitate erga omnes.

Quis constantiam huius non vehementer admiretur, qui eosdem  
40 optimos mores semper servavit, qui ut singulis in rebus bene incepit, ita perseveravit. Hominum simulata amicitia et pravitas fecit, ut ipse inimicos habeat, quos amicos habuisse videtur. Sed hic profecto pravitati hominum fidem numquam adhibuit nec habuit amicos, qui inimici erant futuri. Quis igitur hunc tantae doctrinae tantaeque virtutis

virum non vehementissime laudet? Quis non iure optimo ad hunc honorandum amandumque hortetur? Equidem hunc non solum inter homines nostrae aetatis egregium esse video, sed etiam Platoni, Soloni, B 75<sup>v</sup> Lycurgo compararem ceterisque studiosissimis viris antiquis, qui disciplinarum causa peregre profecti laboraverunt. Nam etsi auctoritas 5 illorum maxima sit, tamen laudem Michaeli nostro debitam exhibendam fateri omnes debemus.

12. Quas ob res nec universitas hunc neglexerat virum, sed maximo honore prosequendum putavit. Cum enim iis diebus comitia essent de eligendo rectore, hunc omnium consensu elegit et designavit hodierno- 10 que die in conspectu omnium laudans creat rectorem, id est ducem ac principem quandam sui ordinis, collegii omniumque doctorum. Quo quidem honore maiorem nullum profecto ipsa praebere potest. Hic enim magistratus et dignitate et utilitate omnium maximus est.

13. Sed iam ad te, vir egregie, rector electe, mea convertetur et per- 15 ficietur oratio. Nostra universitas, quae ob singulares tuas virtutes te semper unice dilexit, capitium hoc ut coronam quandam tuo capiti B 76 manu meo imponit rectoratus insigne, te rectorem, defensorem tutoremque omnium rerum suarum hodie feliciter creat, te hoc praeclaro munere donat ob eas virtutes, quas et mea oratio, ut potuit, expressit 20 et res ipsae multo ante orationem perpulchre ostenderunt. Deus vero, quem omnibus dictis factisque nostris invocare debemus, sit semper fautor tibi.